Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 907
Quelle:
Copyright:

1539. p. 95. et in edit. 1672. p. 88. Item T. X. *Aug.* suprac. *col.* 197. sed statim in *Resp.* 1. Codex noster melius omnibus legit: *non ex cognitione dei*, quam *ex conditione dei.* Ad calcem minio: *Expliciunt responsiones ad capitula Gallorum.*

III. *fol.* 19. *Incipiunt Responsiones contra capita obiectionum Uincencianarum.* Circa idem tempus cum superioribus datas autumant Editores *de l'Hist. lit. de la France* T. II. p. 385. objectiones vero non a *Vincentio Lirinensi*, sed ab alio *Vincentio* in *Provincia* Presbytero profectas, de quo agunt p. 413. Praefatio incipit: *Quidam Christianę ac fraternę caritatis obliti* &c. Opusculum ipsum inscriptum est: *Incipiunt capita obiectionum. quibus ad singula respondetur. Quod Dominus noster ihesus christus non pro omnium hominum salute* &c. In *Resp.* 1. a nostro *Cod.* abest: *et solus*, sed melius legit cum *Maurianis* suprac. *col.* 208. *ad magnitudinem — pretii*, quam *Lugd.* posterior *ad imaginem.* Non est ad manum *Parisina* 1711. ut cum ea Codicem contendam.

IV. *fol.* 25. char. quadr. nigro: *Incipiunt Responsiones Ad Excerpta Quę de Genuensi Ciuitate sunt Missa.* Inscriptae sunt: *Camillo. Et Theodolo. Uenerabilib. Presbyteris*, et ordiuntur: *In libris beatę memorię augustini episcopi quorum titulus est de prędestinatione sanctorum* &c. Extant in *Lugd.* priore p. 118. in poster. p. 96. Haec editio in *Resp.* 2. omittit illa verba: *Utrumque nostrum est propter arbitrium uoluntatis*, quae in *Cod.* nostro et *edit.* priore leguntur, uti et in T. X. Opp. *August.* suprac. *append. col.* 214.

V. *fol.* 33. char. quadr. nigro: *Incipit Responsio Sancti Augustini Ad Dulcitium De Octo Questionibus Ab Eo Missis.* Initium: *Quantum mihi uidetur fili dulcissime dulcici! non tardaui respondere* &c. Legitur T. VI. *Opp.* edit. *Maur. col.* 121. sed ibi paullo post initium habetur: *post tres menses redire permissus sum.* Noster omittit *menses*, ut adeo de *diebus* sermo esse videatur, cum mox ante *quindecim dies* memorati fuerint.

VI. *fol.* 47. p. 2. ead. forma: *Incipit De Predistinatione Disputatio. VI. Augustini. Yponosticon Aduersus Pelagianos. Seu Celestianos Hereticos.* Ingressus: *Attendere etiam hoc quam maxime huic operi oportet. ut et uestra calumnia* &c. Variat is ab edit. *Maur.* T. X. Opp. *Aug.* append. *col.* 42. ubi legitur: *Licet latius de gratia et libero arbitrio jam superius disputatum sit: tamen addere etiam non nihil quam maxime huic operi oportet; ut et vestra calumnia* &c. *Augustini* non esse VI. τῶν Ὑπογνωστικῶν seu τȣ Ὑπομνηστικȣ Libros inter omnes nunc convenit. *Joh. Garnerius* Dissert. VI. *de Scriptis adversus Haeres. Pelag.* T. I. Opp. *Marii Mercatoris. Paris.* 1673. c. 6. p. 362. in *Sixtum* Presb. *Romanum*, qui *Coelestino* in Sedem apostolicam suc-